

FOEDVS CONNVBIALE
SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE
PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI

CAROLI III

REGIS CASTILIAE, LEGIO-
NIS, ARAGONVM, NAVARRAE, NEAPO-
LIS, SICILIAE, MAIORICARVM, SARDINIAE, INSVLARVM
CANARIAE, INDIARVM, ET TERRAE FIRMAE MARIS OCEANI;

ARCHIDVCIS AVSTRIAE, DVCIS BVR-
GVNDIAE, BRABANTIAE, LVZELBURGI, STIRIAE, CA-
RINTHIAE, CARNIOLAE, CETERA.

CVM

SERENISSIMA FVLGENTISSIMAQVE
PRINCIPE AC DOMINA, DOMINA

ELISABETHA CHRIS-
STINA IVLIANA,

DVCE BRVNSVICENSI ET LVNEBVR-
GENSI, RELIQA,

RITE ET AVSPICATO INITVM,

IN FRIDERICIANA ACADEMIA

GENEROSISSIMVS IUVENIS

AVGVSTVS ADOLPHVS DE CRAMM

EQVES BRVNSVICO-GVELPHICVS,

DEMISSISSIMA GRATVLATIONE

A. D. XI APRILIS HORA X

PVBLCO NOMINE PROSEQVETVR.

OMNES VTRIVSQUE REIP. PROCERES

NATALIVM SPLENDORE, MVNERVM DIGNITATE ILLV-
STRES, AMPLISSIMOS, ETIAM VIRTUTE AC DOCTRINA
PRAESTANTES IUVENES AD AVDIENDVM BENEVOLE

INVITAT

ACADEMIAE PRORECTOR

FRIDERICVS HOFFMANNVS

CONSILIARIVS ET ARCHIATER REGIVS, MEDICINAE
ET PHIL. NAT. PROF. P. ORD.

HALAE MAGDEB. LITTERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYP.

Hist. Hispan.

660, 67.



Vanto Regum atque Principum illustrior fortuna, quam priuatorum est: tanto maius momentum in illorum connubiis, quam matrimoniis ceterorum, oportet positum & collocatum esse. Principes enim & Reges, qui magnis præsunt nationibus, non suas tantum Familias, quamlibet amplas atque splendidas, sed Regna, & ingentes Prouincias, atque singulorum in iis salutem atque commoda intendunt, vt nouo fœdere, noua societate idem augeantur, & tam illorum, quam Agnatorum Fœderatorumque coniunctione in maius meliusque excrescant. Quod si vmquam humano generi fatorum benignitate contigit, id certe, quod gratulabundi iam prosequimur, connubium est Regium, quod propitio cælo faustisque auspiciis initum atque sancitum, non sub hoc tantum Sole, sed sub alio etiam, in transmarino Orbe, miris congratulationibus prædicatur, & in cælum vbi-que laudibus effertur. Quid enim auspiciatius omnibusque lætioribus posset contingere, quid ipsa Faustitas felicius proferre ac inter homines dispensare pro liberalitate sua posset, quam quod nuper cælestis providentiæ consilio atque decreto Princeps serenissimus, & amplissimorum Regnorum potentissimus Dominus, CAROLVS III, Rex Castiliæ, Legionis, Aragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Maioricarum, Sardinæ, insularum Canariarum, & Indiarum, reliqua; Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantia, cetera, indulgentissimus Dominus noster; serenissimam Principem ELISABETHAM CHRISTINAM IVLIANAM, Ducem Brunsvicensis & Luneburgensem, reliqua, itidem Dominam nostram clementissimam, sibi rite sanctissimisque auspiciis desponderi per illustrissimum Legatum voluit; id sane in exemplis FORTVNAE augustæ & vere incomparabilis nume-

me.

merandum censemus, cui nostra ætate par aut simile
vix possit inueniri. Quæcumque enim Magnorum Prin-
cipum Matrimonia commendant, in hoc nostro, quod
cœptum est feliciter, abundantissime conueniunt, an-
tiquitas Generis, Maiorum gloria, Fortuna vtrius-
que Gentis, Virtus egregia Sponsorum, Exempla mi-
rabili felicitatis euentu comprobata. Soli lumen adfun-
deremus, si de vetustate harum Gentium differere veli-
mus, quæ quo longius inquiritur, eo magis ad ipsa pri-
mordia rerum recurrit, atque refugit. Aequæ cla-
ra sunt cetera, quæ laudant homines & mirantur in
coniugiis Principum atque Regum, vt superuacuum
sit de illis verbum addere. Duo sunt pondera, & pæne
propria SPONSORVM, quibus gratulamur, quorum
vtrumque a diuinis pendet significationibus, quod cer-
tissimum genus auguriorum est. Virtus vtriusque
SPONSI æqualis, paritate indolis atque ingenii orta,
spem maximam summæ concordiæ, mirabilis suauitatis
omniumque, quæ felicissimi sunt coniugii, adfert, quia
hæc vis est diuinitus ingenita, eoque certior illius ha-
betur diuinitas. nam quæ natura impresit, formam re-
tinent; non deleri, non obliterari patiuntur, sed recti
vestigia per ætatem seruant, præsertim si naturam ars
& præcepta adiuuerint, quæ in neutro NOSTRORVM
defuerunt. Præter has sociabiles virtutes, quæ summæ
in VTROQUE sunt, spem nostram confirmant felicis-
sima connubia, ex serenissima DOMO Brunsvicensi & Lu-
neburgensi adhuc faustissimis auspiciis petita, quæ quo
recentiora sunt, eo certiozem nobis spem cælestis volun-
tatis faciunt, quam mire propitiam huic DOMVI esse, non
aves, sed diuiniora auguria addicunt, Connubiorum
cum hac DOMO felicitas. Augustæ serenitatis SPON-
SVS exemplum maximi FRATRIS secutus est, qui
ex eadem GENTE duxit, quæ nunc augustissima femi-
narum est quas Orbis Christianus adorat. Quod quia
vidit

vidit tam prospere cesfisse, vt nihil posset prosperius; in
eiusdem felicitatis societatem venire sibi præoptauit.
Nuperrime Serenissimus H E R E S Regni Boruffici
ex eadem STIRPE illam duxit, quam cumulos felicitatis
in Regiam Domum inferre non tantum speramus
ex non incertis ominibus, verum etiam indubitate con-
fidimus. Acclamant omnes SOCII & CONFOEDERA-
TI, maximi Principes, amplissimæ Respublicæ, & votis
vndique profequuntur, quæ etiam lætioris euentus non
dubiam significationem habent. Quæ quum ita sint, vt
vbique congratulationes per Germaniam, per Regna
propria atque focia, etiam Respublicas audiantur; no-
strarum quoque Musarum est, in publica lætitia non ta-
cere, sed si quid votis possunt atque precibus, suas quo-
que partes adiungere, vt fortunet Deus hoc Coniugium,
& Orbi Christiano salutare esse iubeat. Quod omnium
nostrorum officium erat, pro ingenii alacritate in se
se suscepit iuuenis generosissimus AVGVSTVS A-
DOLPHVS DE CRAMM, Eques Brunsvico-Guel-
phicus, & XI Aprilis hora X, patrio sermone, eoque
perpolito, nouellis REGIIS SPONSIS subiectisfi-
me demississimeque publico nomine gratulabitur.
Quem nobilissimum Oratorem vt vtriusque Reipubli-
cæ PROCERES genere, dignitate, muneribus illustres
atque conspicui; etiam nobilissimi iuuenes virtute at-
que doctrina præstantes, castino die consueta hora
fauentes audiant, officii nostri est idemtidem rogare
ac admonere. Deus adnuat votis, quæ pro REGIO-
RVM SPONSORVM salute, pro lætitia serenissi-
morum PARENTVM, AVI, inuicti FRATRIS, PATRVI,
omniumque AGNATORVM FOEDERATORVMQUE rite
fufcipimus & nuncupamus. PP. Halæ X April.

CIDCCCVII